Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ubi exultabit usque in die iudicii et recipient
corpora sua et gaudebunt in secula seculorum. Iste autem
anime quas vidisti in igne usque ad mentum, vel usque
ad pectus, vel usque ad genua, anime sunt que iuxta priorem
statum in igne morantur et habent in seculo amicos qui
eis porrigunt aliquod bonum. Medietas autem quas vi-
disti captivos, anime sunt que non invenerunt aliquem in seculo
qui eis manum porrigat nisi adiuvat eas quisquam
specialiter. Quod autem vidisti quod ille qui fuit in presbitero

Prima est mors corporis. Secunda mors anime. Tercia est mors mystica. Prima dividit inter animam et carnem. Secunda inter deum et animam. Tercia inter hominem et mundum. Prima consistit in pena delicti. Secunda in delicto. Tercia utrique est remedium.

non dabit aliquid medicis, propterea cognoscas fecisti
quod in alio seculo tarde incepit medicare quod hic no-
luit laborare. Et ecce nunc restituta te ad cor-
pus tuum. Tu autem que vidisti alius narra. Dicens pa-
pe ut sic hodie communem festivitatem omnium sanctorum
faciat, ita in crastinum commune anniversarium faciat
omnium animarum. Sic hodie omnes sancti et illi qui habent
et illi qui non habent festum gaudent communiter de ho-
nore illis a papa tunc impenso. Ita et omnes anime et
qui habent benefactores et qui non habent de communi gau-
deant anniversario. Et hec dicens angelus animam ad
corpus reduxit. Iam preparabatur sepultura corporis
et fratres portabant corpus ad sepulchrum. Dum autem
fratres imperarent fossoribus ut corpus in monumento
ponerent, monachus ille revixit et sedit in feretro.
Et omnes qui ibidem aderant ceperunt admirari et ti-
mere. Ipse vero surgens confortavit eos. Et cepit inquirere
ubi esset papa. Cumque venisset ad eum nuntiavit ei omnia
que audierat et viderat. Papa vero audiens hec de
tanta revelatione confortatus est et de sua conversatione
glorificabat deum. Et congregans omnes episcopos precepit
per universum mundum ut omnes christiani sic celebrent
in kalendis novembris communem festivitatem omnium sanctorum,
sic in crastinum celebrent commune anniversarium omnium
animarum et in tanto meliori studio quanto cognoscitur
animas peccatorum maiorem necessitatem habere quam sanctos.
Nam sancti orant pro nobis et anime peccatorum expectant nos
ut benefaciamus illis. Et ideo fratres karissimi studeamus
hodie sanctis sollempnitatem impendere et in crastinum
pro mortuis orare, ut a peccatis solvantur, quatinus e-
repte de igne et supplicio iudicitatis feliciter
valeant transire ad gaudia eterne felicitatis.

Beati mortui. In agendis mortuorum.

Beati mortui qui in domino moriuntur. Triplicem esse mor-
tem sacra scriptura testatur. Prima mors est
nature. Secunda culpe. Tercia gratie. Prima est misera
et omnibus ferenda. Secunda mala et cunctis fugienda.
Tercia bona et omnibus appetenda. Prima mors est
corporis, que omnibus est communis, quia omnis homo ob pec-
catum Ade moritur, et post mortem aut ad gau-
dium aut ad tormentum ducitur. Unde dicitur scriptura:
Grave iugum est super omnes filios Ade a die ma-
tris eorum usque in diem matris omnium. Omnes homines filii
Ade dicuntur, quia cuncti de eius semine nascuntur.
Grave iugum est labor quo homo hic premitur seu il-
la iugis miseria qua constringitur. Hoc iugum super omnes
homines est a die quo a matribus profunduntur usque
in diem quo in terram matrem omnium revertuntur. Nam
sicut avis ad volatum, ita homo nascitur ad la-
boris cruciatum. De hoc iugo volens dominus nos
absolvere iussit nos suave iugum et leve o-
nus suum tollere. Laborantes et oneratos precepit ad se
fontem vivum venire ut per se mi invenire re-
quiem animabus nostris. Dum lucem vite habemus ad hunc
fontem vivum penitendo et peccata confitendo cur-
ramus, ne subito tenebris mortis comprehensi ve-
limus et minime possimus. Et cum nec diem neque
horam mortis sciamus, omnes in bonis actibus
pervigiles maneamus, ut in die mortis domino
leti occurramus. Omnibus hominibus terminum vivendi
constituit, quem nullus preterire poterit. Multi autem
ad prefixum terminum non perveniunt, dum spacium
vivendi malis operibus perdunt. Homo sicut dicitur de
in mundo concipitur semine, brevi hic vivens tempore
repletur multis miseriis. Qui quasi flos in pul-